

Septem praetores, octo tribuni pl.

Praetorum <e> numero unus defuit Appius Claudius, tribunorum e numero Q. Numerius et Atilius Serranus, qui restitutioni Ciceronis adversati esse traduntur.

5 Cum <in> Cn. Pompeium pro Milone dicen- § 40.  
tem impetus factus est.

Id tempus et hic significatur, quo Miloni diem dixit P. Clodius, quod gladiatores adhibuisset, ut rogationem posset de Cicerone perferre.

10 Nuper vero cum M. Antonius.

Hoc quoque inter facultates opportuniore enumerat, quas cum habuerit Milo, abstinerit tamen caede faciunda. Sed de M. Antonio quod ait, et in Filippicis secunda oratione hoc idem contestatur his ut opinor verbis: *Quidnam*  
15 *homines putarent, si tum occisus esset, cum tu illum in foro spectante populo Romano gladio insecutus es negotiumque transegisses, nisi ille in scalas tabernae librariae se con<iecisset>?*

(Desunt IV paginae.)

20 . . . progressus existimetur, quam ut hereditatis causa § 46.  
in urbem properaverit, de qua sibi relicta et olim comperisset et nihil ex ea, si remoraretur, amitteret.

Scitis fuisse qui in hac rogatione suadenda § 47.  
dicerent Milonis manu caedem esse factam, con-  
25 silio vero maioris alicuius.

Interrupit executionis cursum facta . . . propter suam personam, de qua infamiam severant, quasi auctor et consiliarius